

*159. Instrumentum donationis
di Antonello notarii Andre#,
alias Porcario, in favore della
chiesa cattedrale di S. Gerardo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*159. Instrumentum donationis
di Antonello notarii Andre#,
alias Porcario, in favore della
chiesa cattedrale di S. Gerardo*

1464-10-21

(c. 30v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen.
Anno nativitatis ipsius millesimo quadricentesimo
sexagesimo <sic> quarto, regnante serenissimo et
illustrissimo domino nostro domino Ferdinando Dei
gratia rege Sicilie, Hierusalem et Hungarie, regnorum
suorum anno septimo feliciter amen, die vigesimo primo
mensis octobris, tertie decime indictionis, in civitate
Potentie.

Nos Iacobus Canillus de Potentia et ipsius civitatis
Potentie pro presenti anno tertie decime indictionis
preditte annalis ydiota iudex, Mattheus de Sacco
// (c. 31r) de Potentia publicus ubilibet et per
totum regnum Sicilie reginali autoritate notarius et
testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati,
presenti scripto publico donationis instrumento fatemur,
notumfacimus et testamur quod eodem die eiusdem
ibidem coram nobis eisdem et in nostri presentia
presentibus et personaliter constitutis Antonello notarii
Andre# alias Porc[a]rio de Potentia, agente pro
se et suis heredibus et successoribus singularibus
et universalibus, parte ex una, et venerabilibus
do(n)no Antonello Baculi de Potentia, archidiacono
Potentino, et do(n)no Baldassarre Mordente de
Potentia archipresbitero et canonico ecclesie Santi
Gerardi civitatis eiusdem, agentibus nomine et pro
parte venerabilis ecclesie Santi Gerardi preditti <et>
hnus successorum singularium et universalium, parte
ex altera, prefatus vero Antonellus asseruit coram
nobis, ipsis archidiacono et archipresbitero presentibus,
audientibus et intelligentibus quo supra nomine, se
ipsum per se seu alium vel alios habere, tenere iusto
titulo et bona fide possidere seu ad se spettare et

pertinere, iure et successione maternis, medietatem
 subscriptatum terrarum que fuerunt quondam Gemme
 de Matera matris sue, sitarum in territorio civitatis
 Potentie, in pertinentiis Rivisti, confinatarum ut dixit
 iuxta viam qua itur in Petragallam, ubi dicitur Fontana
 Ochiani, versus vero vallem Matrazonem, iuxta terras
 Santi Francisci civitatis eiusdem et Mariani de Ingamulo
 viam <sic> puplica mediante, versus Podium donni
 Comini, iuxta terras ecclesie Sante Trinitatis civitatis
 eiusdem limite mediante, iuxta terras quondam donni
 Nicolai notarii Andre# alias Testi Grossi et alios
 (con) fines, si qui sunt. Qui quidem Antonellus, gerens et
 habens // (c. 31v) devotionem erga ecclesiam predittam
 Santi Gerardi quia suos in eadem habet tumultos et
 est ipsius ecclesie parrochianus et aliis ex causis ad
 infra(scri)ptam donationem ips(u)m inducentibus iustis
 rationibus, ut dixit, igitur non vi, dolo malo, metu
 ad id induttus, ut dixit, nec aliquibus suasionibus
 circumventus, sed eius pura, mera, bona, spontanea
 et gratuita voluntate, propter devotionem predittam
 in nostri quorum supra iudicis, notarii et testium
 presentia sollempniter et legitime cum omne iuris et sic
 sollempnitate cedendo eisdem archidiacono et presbitero
 quo supra nomine recipientibus omnia iura et acciones
 reales et personales, utiles et directas, que et quas
 habet vel habere poterat in preditta medietate terrarum
 predittarum, donavit donationis titulo inrevocabiliter
 inter vivos, per fustem traditionis traddidit et assignavit
 iure proprio et inperpetuum eisdem archidiacono et
 presbitero ibidem presentibus, recipientibus quo supra
 nomine ab eodem Antonello donatore medietatem suam
 predittarum terrarum sibi spettantem et pertinentem, ut
 supra, francham, liberam et exemptam ab omni onere

servitii, redditus sive census, cum viis, introytibus et
exitibus suis ad ipsius medietatem terrarum predittarum
rette intrandi et exeundi et cum omnibus iuribus et
pertinentiis suis eiusdem terre seu medietate preditte
spettantibus et pertinentibus, quoquomodo et <cum>
integro statu suo, prout constitit et constare consuevit,
ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum,
permutandum, donandum, faciendum et disponendum
de ipsa medietate terrarum predittarum et in ea //
(c. 32r) quicquid donatariis quo supra nomine et
eiusdem ecclesie successoribus et possessoribus visum
erit melius et placebit, tamquam de re propria preditte
ecclesie Santi Gerardi, q(uonia)m prefatus donator nil
sibi et suis heredibus et successoribus retinuit, nec
quomodolibet reservavit in preditta medietate terrarum
et suis iuribus et rationibus, ut superius donata. Quam
quidem donationem, traditionem et assignationem
et cessionem sic omnia et singula supradicta et in
presenti instrumento contenta, idem Antonellus donator
per stipulationem legitimam et sollempnem predittis
archidiacono et presbitero quo supra nomine presentibus,
recipientibus et stipulantibus semper et omni tempore
ratam, gratam et firmam ac rata, grata et firma
habere, tenere promisit, attendere, sic teneatur, et
inviolabiliter observare et contra non facere, dicere,
opponere vel venire, de iure vel de facto, in iudicio
sive extra iudicium, aliqua ratione vel causa, modo,
ingenio sive trattatu, publice vel occulte, per se vel
per alium seu alios eius nomine, sub ob(ligati)one sui
ipsius heredum et successorum suorum ac omnium et
singulorum bonorum suorum mobilium et stabilium
se sequē moventium, presentium et futurorum ubique
siste(n)ciu(m) et decetero extiturorum, cuiuscumque

vocaboli appellatione distintorum et pena unciarum auri quatuor, medietate ipsius pene, si eam (con)mitti contingat, regie curie vel alie cuicumque curie ubi exinde fatta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate pene eiusdem ditte ecclesie // (c. 32v) seu dittis donatariis eiusdem ecclesie nomine et ipsius ecclesie successoribus persolvenda, totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet conventum, me predicto notario tamquam persona puplica pro parte ditte curie et dittis donatariis quo supra nomine a ditto Antonello donatore presenti sollempniter et legitime penam ipsam stipulantibus. Qua (con)missa vel non (con)missa, soluta vel non soluta, exatta vel non exatta aut gratiose remissa, presens nichilominus instrumentum cum omnibus in eo contentis in suo semper robore et efficacia perseveret, rato manente patto cum refettione et integra restitutione omnium dannorum interesse et expensarum litis et ex(tra) litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento t(antu)m dittorum donatorum quo supra nomine et ipsius ecclesie successorum, nulla alia probatione quesita, itaque reduci non posse ad arbitrium boni viri, nec exinde quomodolibet appellari seu aliter reclamari. Et renunciavit dittus Antonellus donator voluntarie et expresse, pro cautela ditte ecclesie, dittis donatariis quo supra nomine presentibus, recipientibus et stipulantibus super predittis et quolibet predittorum ex certa sua scientia expresse exceptioni doli mali, vis, metus et in fattum, rei alio modo geste que <sic> ut superius et inferius continetur et est expressum, beneficium restitutionis in integrum, exceptioni non h(abe)nt(is) d(itte) devoce(n)is et dittorum tumulorum suorum in ditta ecclesia non existentium, exceptioni ditte donationis non fatte realiter

et non secut(e) modo predicto et assignationis et
traditionis medietatis dittarum terrarum, legi dicenti
donationem ultra ducentos aureos seu quingentos sine
insinuatione fattam non valere propter ingratitudinis
vitium <et> revocari posse, licteris, privilegiis, cedulis,
rescriptis quibuslibet in contrarium impetratis // (c. 33r)
vel impetrandis omnibusque aliis iuribus, exceptionibus,
allegationibus, defensionibus iuris et fatti iurique dicenti
generalem renuntiationem non valere et iuri per quod
cavetur quod ditto iuri renuntiari non posse, quibus
auxiliantibus donator sive sui heredes et successores
predicta omnia seu ipsorum aliquod posset infringere
seu quomodolibet annullare; certioratus prius, ut dixit,
predictus donator de iuribus ipsis ac beneficiis et
effettibus eorundem <ante>q(ua)m renuntiaret eisdem. Et
<pro> predictis omnibus firmiter attendendis, adimplendis
et inviolabiliter observandis quodque predicta omnia et
eorum singula vera sint, in nullo unquam recallent,
dittus donator predictis archidiacono et archipresbitero
quo supra nomine presentibus recipientibus, coram nobis
tattis litteris corporalem prestitit ad sancta Dei Evangelia
iuramentum et f[ui]t fattum infra contrahentes eosdem
de predictis, pro cautela ditte ecclesie, quod si in presenti
contrattu aliqua iuris vel fatti sollempnitatis deficeret
quod tantu(m) expresse intelligatur in eo et totiens
corrigi, refici, emendari possit quotiescumque opus erit
ad sensum sapientis eligendi nomine et pro parte ditte
ecclesie desuper veniat ad lucidam formam, veritatis
substantia non mutata. Unde ad futuram memoriam et
ditti Antonelli donatoris preces et ditorum archidiaconi
et archipresbiteri quo supra nomine donatariorum
cautelam seu ipsius ecclesie et eiusdem ecclesie
successorum ac omnium et quorum et cuius inde

interest et interesse poterit certitudinem, fattum est de predittis hoc presens donationis instrumentum per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, mei etiam et iudicis et nostrorum sub(script)orum testium subscriptionibus et subsigna//tionibus (c. 33v) roboratum.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

Così S per eius

Così S per Rivisci

Così S qui, altrove Madragone

Così S per omni iuris et fatti

Così S per servitutis

Così S per et

Così S per contraventum

Così S per devocionis

Così S per tumultorum

Così S per vacillent

Così S per actum

12

13

14

15

Quod scripsi ego idem Mattheus puplicus ut supra
notarius qui premissis omnibus vocatus interfui et
rogatus interfui ipsumque meo signo consueto signavi.
(SN) Signum crucis proprie manus mei preditti Iacobi
qui interfui pro iudice ut supra scribere nescientis Ego
don(n)us Clericus Zappa de Potentia testis sum Ego
notarius Antonellus Arcerius de Tito testis interfui et me
subscrissi Ego Paulus de Must(u)lo de Neapoli testis
sum Ego Franciscus de Ycto de Gayeta testis sum

Così S per sollempnitate

Così S per tacite

Così S per donec

Così S qui, in docc. precedenti de Barulo